



LEGISLACION COMENTADA

QUAEDAM NORMAE VACANTE SEDE APOSTOLICA SERVANDAE A JOANNE PP. XXIII PRAESCRIPTAE MOTU PROPRIO «SUMMI PONTIFICIS ELECTIO», 5 SEPTEMBRIS 1962¹

1) Joannes PP. XXIII legum corpus renovandum non censuit, quae Constitutione Apostolica «*Vacantis Apostolicae Sedis*» continentur, a Pio PP. XII edita die 8 Decembris 1945², sed nonnullas normas servandas praecepit, quae superioribus normis adduntur, si omnino novae sint, eae vero immutantur, si aliquid de eadem re praecipiant. «Itaque (ait Summus Pontifex) re diu ac mature perpensa, certa scientia et de Nostrae potestatis plenitudine has Apostolicas Litteras motu proprio damus, quibus Sacrum Cardinalium Collegium, hac Petri Sede vacante, in Romano Pontifice eligendo utatur, normis eiusdem superioris Constitutionis abrogatis, quae hisce Nostris praeceptis non congruant»³.

Quia vero Pius XII praefatam Constitutionem edere et promulgare statuit, «qua Sacrum Cardinalium Collegium, Romana Petri Sede vacante, ac in Romano Pontifice eligendo utatur, abrogata idcirco Constitutione «*Vacante Sede Apostolica*», prout a Pio X Decessore Nostro fuerat lata»⁴, praescriptum can. 160 C. J. C. de electione Romani Pontificis his verbis nunc exprimi deberet: «Romani Pontificis electio unice regitur Const. Pii XII *Vacantis Apostolicae Sedis*, 8 Dec. 1945, et Motu Proprio Joannis XXIII *Summi Pontificis electio*, 5 Sept. 1962».

2) In ipso Motu Proprio causa declaratur, qua Joannes XXIII praesentes normas promulgandas censuerit: «Nostras esse partes putamus nonnullas tradere normas, quarum necessitatem vel rerum usus, vel recens invectae consuetudines ostendere visae sunt»⁵.

Etiam S. Pius X, Constitutionem «*Commissum Nobis*», 20 Jan. 1904, promulgavit ad abusum compescendum, quo novissime anno 1903 a Cardinali Puzyna, Archiepiscopo Cracoviensi, nomine imperatoris Austriae at iussu Ger-

1. A. A. S., LIV (1962), pagg. 632-640.
2. A. A. S., XXXVIII (1946), pagg. 65-99.
3. A. A. S., LIV (1962), pag. 632.
4. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 66.
5. A. A. S., LIV (1962), pag. 632



maniae, in Conclavi post obitum Leonis XIII *veto*⁶ contra Cardinalis Rampolla electionem propositum fuerat. In praefata S. Pii X Constitutione dicitur: «Verum, quandoquidem et experientia docuerit, hactenus constituta ad impediendum civile *Veto*, seu *Exclusivam* non ita votis respondisse, et ob mutata temporum adiuncta huiusmodi civilis potestatis immixtio nostra aetate multo videatur magis omni rationis et aequitatis fundamento destituta, idcirco Nos, pro Apostolico Nobis commisso munere, et Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, re mature deliberata, certa scientia et proprio motu, civile *Veto*, sive *Exclusivam*, quam dicunt, etiam sub forma simplicis desiderii, itemque omnes interventus, intercessionem quaslibet omnino reprobamus»⁷.

Et sub poena excommunicationis latae sententiae, speciali modo reservatae futuro Pontifici, singulis Cardinalibus aliisque omnibus in Conclavi partem habentibus prohibuit, ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipiant *Veto*, sive *Exclusivam* proponendi, ipsumve, qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directo ac proxime, sive oblique ac per alios⁸.

Quae prohibitiones iisdem verbis deinde relatae sunt in eiusdem S. Pii X Const. «*Vacante Sede Apostolica*», 25 Dec. 1904, n. 81, hac addita expressa determinatione, eas scilicet servandas esse: «sive ante Conclave sive ipso perdurante»⁹, et in hac postrema forma eadem integre renovatae sunt in Pii XII Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», 8 Dec. 1945, n. 94¹⁰.

Pariter, Pius XI Motu Proprio «*Cum proxime*», 1 Mart. 1922, quatuor praescripta Const. «*Vacante Sede Apostolica*» innovavit, quia S.R.E. Cardinales occasione Conclavis post obitum Benedicti XV: «optare se significarunt, ut posthac aliquod eius Constitutionis caput sic mutaretur, quemadmodum rerum temporumque ratio postulare»¹¹. Hinc, decem dierum mora, quae, post diem obitus Summi Pontificis, ad Conclave ineundum dabatur (n. 33), ad quindecim solidos dies prorogata est, facta praeterea Sacro Cardinalium Collegio potestate ingressus in Conclave etiam per alios duos

6. *Veto* seu *exclusiva* «erat praxis quaedam hisce ultimis saeculis a Guberniis Austriae, Galliae, Hispaniae compluries exercita, vi cuius a singulis illis Guberniis *semel ante* electionem completam *unus* Cardinalis ut minus gratus excluderetur. At Cardinales ex lege *ecclesiastica* in omnibus et singulis casibus non *tenebantur deferre* exclusioni factae tanquam *stricto iuri*, sed suffragia sua dare debebant iuxta leges prudentiae christianae et maius bonum Ecclesiae universalis. Certe propter *exclusivam* a Cardinalibus non servatam electio alicuius R. Pontificis non erat invalida neque ullo modo in dubium vocari poterat. Imo iam ex disciplina ultimo tempore in praxi vigente si quis Cardinalis sese constituisset nuntium vel agentem alicuius gubernii ad interponendam *exclusivam*, profecto a gravi scandalo, culpa, censura excusari non poterat» (WERNZ-VIDAL, S. J.: *Jus Canonicum*, Tom. II: *De Personis* (Editio Altera, Romae 1928), n. 420, pagg. 408-409).

7. C. J. C., Docum. II.

8. Ibidem.

9. C. J. C., Docum. I.

10. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 95.

11. C. J. C., Docum. IX.



NORMAE PRAESCRIPTAE MOTU PROPRIO "SUMMI PONTIFICIS ELECTIO"

tresve dies proferendi (n. I); quod praescriptum in Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 37, sancitum est. In eodem praefato n. I, Pius XI statuerat quoque ut, ad novendialia quod attinet, de quibus in n. 26 Constitutionis Pii X, Cardinales, in primo eorum conventu, praefinirent dies, quibus sex priora habenda sint; quod tamen praescriptum Pius XII non confirmavit in simili n. 29 renovatae praefatae Constitutionis, in quo haec alia nova norma addita est, de novendialibus scilicet intermittendis si «causa quaedam vere gravis et urgens occurrat quae prudenti Cardinalium iudicio exsequiarum ordinem suspendere cogat: exsequiae autem forte intermissae erunt resumendae, si tempus sufficiat»¹².

Alia autem duo praescripta Constitutionis «*Vacante Sede Apostolica*», n. 38 et n. 54, per Motu Proprio «*Cum proxime*», n. II et n. III, innovata, quatenus nempe statutum est: «cuilibet Cardinali, quamvis liberum sit duobus servientibus, clericis, vel laicis, vel uno clerico et uno laico uti, liceat tamen unum solum eumque laicum in Conclave secum adducere», itemque: «liceat cuilibet Cardinali sacrum facere; qui vero, quavis de causa, se a sacro peragendo abstinuerit, is in designato sacello et consueta Missa ad sacram Synaxim accedat», eadem eiusmodi praescripta in n. 43 et n. 65 Constitutionis «*Vacantis Apostolicae Sedis*» integre relata sunt¹³.

I) IMMUTATIONES PER JOANNEM XXIII FACTAE

3) In Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*» viginti normae vacante Sede Apostolica valiturae statuuntur, quarum octo sunt novae, quae scilicet exponuntur in numeris I, II, III, IV, V, XVII, XIX, XX, duodecim vero mutant praescripta antea vigentia, eaeque sunt quae proponuntur in numeris VI, VII, VIII, IX, X, XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVIII.

Nota propria, omnibus normis communis quibus Joannes XXIII plura praescripta antea vigentia innovavit, mitigatio esse videtur disciplinae nunc in Conclavi servandae. Imprimis enim minus dura et arcta facta est reservatio excommunicationum latae sententiae, quas et Conclavistae et Cardinales incurrere poterant; equidem in S. Pii X Const. «*Vacante Sede Apostolica*», n. 51¹⁴, cuius verba integre relata sunt in Pii XII Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 61¹⁵, edicebatur: «a qua, sicut ab alia quavis et contra quoslibet in hac Constitutione imposita et irrogata, seu infra imponenda et irroganda poena excommunicationis, a nullo, ne a Maiori quidem Poenitentiario, cuiuslibet facultatis vigore, praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possint». Nunc autem in Motu Proprio: «*Summi Pontificis electio*», n. XIII, simpliciter dicitur: «hanc legem violantes in excommunicationem

12. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 75.

13. I. c., pag. 78 et pag. 85.

14. C. J. C., Docum. I.

15. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 84.



latae sententiae incurrant, Sedi Apostolicae reservatam»¹⁶, proindeque, ad eiusdem absolutionem quod pertinet, normae generales valent quae de absolutione censurae latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatae statuuntur in Codice Juris Canonici, cann. 2252, 2253, 2254.

4) Numerus etiam excommunicationum nunc imminutus est; Pius XII namque singulas decem excommunicationes adhuc sancierat¹⁷, quae a S. Pio X irrogatae fuerant¹⁸, sed Joannes XXIII quinque earumdem abrogavit, quod attinet ad Cardinales¹⁹. Statuit enim:

A) «Constitutionis eiusdem (*Vacantis Apostolicae Sedis*) praescripto 41 derogantes, illud in posterum ita sonare iubemus: Cardinales omnes et singuli, valetudine non impediti, cum tertio pulsata per loca solita Conclavis campanula fuerit, ad scrutinium convenire debent» (Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», n. VII); ablata scilicet sunt ultima verba: «cui legi si quis non obtemperaverit, latae sententiae excommunicationis poenam incurrat».

B) «Pro priore parte praescripti 60 haec subicienda est: Volumus item ut epistulae, et cuiusvis generis scripta, etiam typis edita, tum ad eos qui in Conclavi sunt, S.R.E. Cardinalibus exceptis, tum praesertim e Conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti nullatenus possint, nisi prius omnia et singula Secretarii S. Collegii, ac simul Praelatorum, qui ad custodiam Conclavis delegati sunt, examini et inspectioni subiiciantur» (l. c., n. XII). In praefato n. 60 expresse e contrario dicebatur: «Volumus item ut epistolae... tum ad eos, qui in Conclavi sunt (non exceptis ipsis S.R.E. Cardinalibus), tum praesertim...», proindeque et ipsi Cardinales poenae excommunicationis latae sententiae subiacebant, si contra enunciata in eodem n. 60 fecissent. Nunc autem eiusmodi poenam Cardinales incurrere nequeunt, ob praescriptum can. 2227 § 2²⁰, quamvis et ipsi ceteris praescriptis in n. 60 enunciatis adhuc obstringantur, cum iidem, vi derogationis factae in Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», n. XII, non excipiantur nisi quod attinet ad prohibitionem ne epistulae et cuiusvis generis scripta mittantur ad eos qui in Conclavi sunt; et idcirco in suo robore, etiam pro Cardinalibus, integrae hae manent prohibitiones: I) Ne e Conclavi epistulae et cuiusvis generis scripta mittantur ad eos, qui foris sunt, nisi examini et inspectioni subiiciantur; II) «Absolute

16. A. A. S., LIV (1962), pag. 638.

17. cf. Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*» nn. 41, 60, 61, 62, 80, 92, 93, 94, 95, 101.

18. cf. Const. «*Vacante Sede Apostolica*», nn. 37, 50, 51, 52, 69, 79, 80, 81, 82, 88.

19. In suo robore manent, pro Cardinalibus, excommunicationes irrogatae in recipientes *Veto* sive *Exclusivam*, ipsumque *Veto* patefacientes (n. 94); in se quacumque obligatione adstringentes ad suffragium alicui dandum vel non dandum (n. 95); in impugnantibus litteras a Romano Pontifice ante coronationem emanatas (n. 101). Praeterea, Cardinales Infirmarii poenam excommunicationis latae sententiae incurrunt, si schedulas infirmorum scripserint et secretum violaverint (n. 80).

20. «Nisi expresse nominentur, S. R. E. Cardinales sub lege poenali non comprehenduntur» (Can. 2227, §2).



NORMAE PRAESCRIPTAE MOTU PROPRIO "SUMMI PONTIFICIS ELECTIO"

autem omnibus interdiciamus, ne ephemerides quotidianae vel periodicae extra Conclave et in Conclave mittantur»²¹.

C) «Ad praescriptum 61 quod pertinet, illud ita renovamus: Praeterea omnibus Conclavistis severe praecipimus et mandamus ut secretum religiosissime servent quoad omnia, quae ad electionem Romani Pontificis pertineant, et quoad ea quae in Conclavi, seu in loco electionis agantur. Quapropter quaecumque directe vel indirecte secretum violare quomodolibet poterunt, sive verba, sive scripta, sive signa, sive alia quaevis, omnia vitare et cavere omnino tenentur; ita ut hanc legem violantes in excommunicationem latae sententiae incurrant, Sedi Apostolicae reservatam» (l. c., n. XIII). Duplex magna iuris antea vigentis correctio fit hoc Joannis XXIII praescripto; non solum enim mitior facta est omnium excommunicationum reservatio, quae per Pii XII Constitutionem irrogantur, prout iam superius n. 3 dictum est, sed insuper Cardinales eximuntur ab obligatione observandi praefatum praescriptum 61, proindeque poenam excommunicationis latae sententiae non incurrerent si secretum —ad quod servandum expresse sese iureiurando adstringunt— violarent quod attinet ad electionem Romani Pontificis et ad ea quae in Conclavi agantur²².

D) «Itidem Constitutionis praescriptum 62 immutamus, cuius sententiam esse huiusmodi decernimus: Specialiter autem Cardinales prohibemus, ne suis familiaribus seu Conclavistis vel aliis quibusvis ea pandant, quae scrutinium directe vel indirecte respiciant, itemque quae in Cardinalium Congregationibus sive ante Conclave, sive inter ipsum habitis, de Pontificis electione acta vel decreta sint» (l. c., n. XIV). Ex praefato n. 62 Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*» haec tantummodo verba sublata sunt: «(Specialiter autem), sub eiusdem excommunicationis poena, (Cardinales prohibemus...)»²³, ideoque iidem lege praefata de secreto servando adhuc omnino eodem modo ut antea obstringuntur, sed excommunicationem non incurrant, si contra fecerint.

E) «Quod ad praescriptum 93 attinet, eius posthac esse formulam volumus: Item prohibemus, ne quis, etsi Cardinalatus honore fulgeat, vivente Romano Pontifice et eo inconsulto, deliberare de ipsius Successoris electione, aut aliquod suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis factis aliquid decernere audeat» (l. c., n. XVIII). Etiam hac norma Joannes XXIII praescriptum Pii XII ea tantum ratione correxit, quatenus poenam sustulit legi adnexam, quae ceteroquin integre in suo robore manet²⁴.

21. Pius XII, Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 60 (A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 84).

22. In priore parte n. 61, quae nunc abrogata est, dicebatur: «Praeterea, uti iam in supra relatis, tam pro S. R. E. Cardinalibus quam pro Conclavistis, iurisiurandi formulis expressum est, severe praecipimus et mandamus ut ab omnibus in Conclavi partem habentibus secretum religiosissime servetur...» (A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 84).

23. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 84.

24. In n. 93 Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*» dicebatur: «Item sub eadem



CHRISTOPHORUS BERUTTI

5) Ex ceteris normis in Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*» editis, quibus superiores normae immutantur quae aliquid de eadem re praecipiant, tres ad iusiurandum attinent a Cardinalibus, a Conclavistis, ab Officialibus Conclavis et ab aliis in Conclavi servientibus dandum.

A) «Formula iurisiurandi a Cardinalibus, iuxta praescriptum 12 memoratae Constitutionis dandi²⁵, haec, quae sequitur, erit. Quam Cardinalis Decanus coram omnibus Cardinalibus iubebit a Praefecto Apostolicarum Caeremoniarum elata voce legi:

«Nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S.R.E. Cardinales promittimus, vovemus et iuramus, inviolate et ad unguem Nos omnes et singulos esse observaturos omnia quae continentur in Constitutione Summi Pontificis Pii Decimi Secundi, quae incipit verbis "Vacantis Apostolicae Sedis", data die octavo decembris anno millesimo nongentesimo quadragesimo quinto, atque in Motu Proprio Summi Pontificis Joannis Viginti Tertii, cuius initium est "Summi Pontificis Electio". Item promittimus, vovemus et iuramus, quicumque nostrum Romanus Pontifex, Deo sic disponente, erit electus, eum iura spiritualia et temporalia —praesertim quae ad civilem Romani Pontificis principatum spectant— libertatemque Sanctae Sedis integre ac strenue adserere atque tueri et, si opus fuerit, vindicare numquam esse destitutum.

Praecipue autem promittimus et iuramus, Nos religiosissime et quoad omnes, etiam familiares seu Conclavistas nostros, secretum esse servaturos de iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis quomodolibet pertinent, et de iis quae in Cardinalium Congregationibus, ante Conclave vel inter ipsum habitis, de hac re acta vel decreta sint, itemque de iis quae in Conclavi seu in loco electionis aguntur, scrutinium directe vel indirecte respicientibus, neque idem secretum quoquo modo violaturos, sive inter Conclave, sive etiam post novi Pontificis electionem, nisi peculiaris facultas aut certa venia ab eodem futuro Pontifice Nobis tributa fuerit; itemque nullo modo a quavis civili potestate, quovis nomine, munus proponendi Veto sive Exclusivam, etiam sub forma simplicis optationis, esse recepturos, neque ipsum hoc Veto, qualibet ratione Nobis cognitum, patefacturos, sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante Conclave sive inter ipsum; nullique interventui, intercessioni, aliive cuilibet modo, quo laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese Pontificis electioni immiscere, auxilium vel favorem praestituros».

Deinde singuli Cardinales dicent:

Et Ego N. Cardinalis N. spondeo, voveo ac iuro.

poena excommunicationis latae sententiae prohibemus ne quis...» (A. A. S., XXXVIII (1946), pag 94).

25. Hoc nobis adnotandum videtur: Formula ibidem praescripta in extrema pagina, tanquam nota, ponitur (A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 69, nota 3).



NORMAE PRAESCRIPTAE MOTU PROPRIO "SUMMI PONTIFICIS ELECTIO"

Et imponentes utramque manum super Evangelium, adiungent: «Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia» (l. c., n. VI)²⁶.

Praesens haec iurisiurandi formula differt a simili formula praescripta in Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», quatenus addita est expressa commemoratio Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», praecipue vero quia nulla fit commemoratio poenarum quas Cardinales incurrunt, si datum iusiurandum violaverint; sublata sunt enim verba: «(promittimus et iuramus) sub poenis in praedicta Pii Decimi Secundi Constitutione *Vacantis Apostolicae Sedis* statutis»²⁷. Ibidem tres excommunicationes hac de re in Cardinales stantiebantur: prima nempe et altera in eos qui secretum violaverint (n. 61 et n. 62), tertia vero in eos qui *Veto* sive *Exclusivam* receperint aut proposuerint (n. 94). Porro, duae priores excommunicationes Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», n. XIII et n. XIV, sublatae sunt; tertia autem in suo robore immutata manet, sed sufficit ut in suo loco (n. 94) enuncietur seu statuatur.

B) «Praescriptum 45 sic immutari iubemus: Conclavistae religiose iusiurandum dent, iuxta statutam formulam. Quam ob rem S.R.E. Camerarii erit cavere, ut ab ipsis iusiurandum, quod supra commemoratum est, saltem una vel altera die ante ingressum in Conclave iuretur, postquam unusquisque eorum eiusdem iurisiurandi momentum ac formulae sententiam probe intellexerit.

Itaque una vel altera die ante ingressum in Conclave, coram S. Collegii Secretario, astante Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto, ad rem delegatis, Magistri Caeremoniarum omnesque Conclavistae ecclesiastici iuxta hanc formulam iusiurandum dabunt:

Ego... constitutus coram te... tactis sanctis Dei Evangeliiis, promitto et iuro me inviolate servaturum esse secretum in omnibus et singulis, quae de novi Pontificis electione in Cardinalium Congregationibus acta vel decreta sint et in Conclavi seu in loco electionis agantur, scrutinium directe vel indirecte respicientia, quaeque omnia quovis modo cognoverim, adeo ut nec directe, nec indirecte, neque nutu, neque verbo, neque scriptis, vel alias quomodolibet, ipsum mihi violare liceat; itemque promitto et iuro me nullo modo in Conclavi usurum esse instrumentis quibuslibet ad vocem transmittendam vel recipiendam, vel ad imagines luce exprimendas quovis modo aptis, et hoc sub poena excommunicationis latae sententiae, Sedi Apostolicae reservata, si ab hoc praecepto discessum erit. Quod secretum accuratissime ac religiose servabo etiam post peractam novi Pontificis electionem, nisi ab eodem Pontifice peculiaris facultas aut certa venia mihi concessa fuerit.

Pariter promitto et iuro nullo modo a quavis civili potestate, quovis nomine, munus proponendi Veto seu Exclusivam, etiam sub forma simplicis optionis, esse recepturum, neque ipsum hoc Veto, qualibet ratione mihi cognitum,

26. A. A. S., LIV (1962), pagg. 633-635.

27. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 69, nota 3.



patefacturum, sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis Cardinalibus, sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios, sive ante ingressum in Conclave, sive inter ipsum; nullique interventui, intercessioni, aliive cuilibet modo, quo laicae potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese Pontificis electioni immiscere, auxilium vel favorem praestitutum.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia, quae propriis manibus tango» (l. c., n. X) ²⁸.

Praefato hoc Joannis XXIII praescripto una tantummodo correctio, sed maximi momenti, facta est in formula iurisiurandi emittendi a Conclavistis ecclesiasticis, qui nempe per primam saltem tonsuram divinis ministeriis mancipati sint (cf. can. 108, § 1); nunc enim poenam dumtaxat excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam incurrent, si praestitum iusiurandum violaverint, dum e contra in simili formula iurisiurandi a Pio XII praescripta statuebatur ipsum iusiurandum servari debere: «nedom sub poena excommunicationis latae sententiae, futuro Pontifici speciali modo reservatae, private etiam quoad S. Poenitentiarium, sed etiam sub poena privationis cuiuscumque beneficii, pensionis, officii vel muneris ipso facto incurrendae in casu transgressionis» ²⁹.

In eodem n. X Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*» formula praescribitur iuxta quam: «alii Conclavistae et inservientes e laicorum ordine iurabunt, in uniuscuiusque sermonem convertendam», quae —sane— italice reddit eandem formulam pro Conclavistis ecclesiasticis praescriptam, sed in ipsa accurate determinantur instrumenta, quorum usus in Conclavi prohibetur, et expresse additur etiam comminatio aliarum poenarum ferendae sententiae; dicitur namque: «*inoltre prometto e giuro di non usare nel Conclave di apparecchi radio, di telefono, microfono o di qualsivoglia altro strumento trasmettente o ricevente, e di non usare neppure di macchine fotografiche e cinematografiche, e ciò non solo sotto pena di scomunica, riservata alla Sede Apostolica, e da incorrersi senz'altra dichiarazione col solo fatto della violazione del giurato segreto, ma pure sotto altre pene anche gravissime che la stessa Santità Sua potrà infliggermi in caso di trasgressione*» ³⁰.

Eadem omnino formula iurisiurandi pro Conclavistis et inservientibus laicis praescribebatur in Constitutione «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 45, sed de poena excommunicationis gravius expresse statuebatur quod eadem reservata erat: «in modo speciale al futuro Pontefice, ad esclusione anche della Sacra Penitenzieria» ³¹.

C) «In locum alterius partis praescripti 53, hanc reponi iubemus: Interim

28. A. A. S., LIV (1962), pagg. 635-636.

29. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 79.

30. A. A. S., LIV (1962), pag. 637.

31. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 79.



NORMAE PRAESCRIPTAE MOTU PROPRIO "SUMMI PONTIFICIS ELECTIO"

vero Officiales Conclavis et alii in Conclavi servientes, nisi iusiurandum supra imperatum iam dederint, quam primum illud iurare debent coram S. Collegii Secretario, astante Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto, ad rem delegatis a Cardinali S.R.E. Camerario, coram quo antea et ab ipsis iusiurandum dandum est» (l. c., n. XI) ³².

Hoc Joannis XXIII praescriptum de omnibus Conclavistis intelligitur, sive Familiares sint Cardinalium, sive alii Officiales et Ministri Conclavis ³³, sive in Conclavi servientes, qui iusiurandum dare debent iuxta praescripta in n. 45 Constitutionis «*Vacantis Apostolicae Sedis*» et n. X Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», sed ii omnes iuxta praescriptum n. 53, «iusiurandum iam emissum (cfr. n. 45) iuxta praescriptas formulas iterum» ³⁴ praestare debebant; nunc autem, iuxta n. XI, sufficit ut ii omnes *semel* iusiurandum dent.

6) Quaedam correcta seu innovata sunt a Joanne XXIII quod attinet ad numerum cuiuslibet Cardinali servientium et ad qualitates Conclavistarum.

A) «De praescripto 43 aliquid immutantes, illud ut sic concipiatur censemus: Cuiuslibet Cardinali in Conclavi liberum sit unum vel, si id petat a Cardinali S.R.E. Camerario, duos servientes in Conclave secum adducere: infirmis autem et graviter affectis a Cardinali S.R.E. Camerario una cum Cardinalibus Capitibus Ordinum tertius indulgeri potest» (n. VIII) ³⁵.

Haec igitur norma generalis et absoluta servanda statuitur: salva cuiuslibet Cardinalis libertate plurium servientium opera utendi, qui sint in Conclavi, singuli Cardinales unum tantummodo proprium servientem secum in Conclave adducere possunt, ecclesiasticus sit vel laicus; quilibet tamen Cardinalis, qui id optet, potest et alterum proprium servientem —ecclesiasticum vel laicum— secum adducere, si id petat a Cardinali S.R.E. Camerario; solummodo autem Cardinales infirmi aliove gravi incommodo affecti, tertium possunt proprium servientem, ecclesiasticum vel laicum, secum adducere, si id iisdem concedatur ex deliberatione Cardinalis S.R.E. Camerarii et Cardinalium, qui Priores sint in Ordine Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum. Quam ob rem plures distinctiones et conditiones abrogatae sunt, quae in Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 43, determinabantur: «Cuiuslibet Cardinali in Conclavi liberum sit duobus servientibus clericis, vel laicis, vel uno clerico et uno laico, uti; liceat tamen unum tantum eumque laicum in Conclave secum adducere; infirmis autem et graviter affectis, a maiori parte S. Collegii, vel a Cardinali S.R.E. Camerario una simul cum Cardinalibus Capitibus Ordinum, de consensu maioris partis S. Collegii, tertius indulgeri potest» ³⁶.

32. A. A. S., LIV (1962), pag. 637.

33. Conclavistae expresse dicuntur omnes Familiares Cardinalium et alii Officiales et Ministri Conclavis in Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 54 (A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 82).

34. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 82.

35. A. A. S., LIV (1962), pag. 635.

36. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 78.



B) «Praescriptum 44 sic est emendandum: De qualitatibus Conclavistarum, quos integritate morum, singulari prudentia et sincera erga Sanctam Sedem religione oportet esse conspicuos, Cardinales ad id delegati ante ingressum in Conclave diligenter inquisitionem habere et eos approbare, ac post ingressum, iisdem invigilare debent» (l. c., n. IX)³⁷.

Rigidius antea exigebatur ut Conclavistae «insigni» erga S. Sedem religione essent conspicui, et praecipiebatur ut Cardinales deputati: «post ingressum (in Conclave) denuo diligenter (de qualitatibus Conclavistarum) inquirerent»³⁸; penitus autem sublatum est praescriptum de pluribus istis qualitatibus quae in Conclavistis necessariae pronuntiabantur in Pii XII Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*» n. 44: «Conclavistae Praelati esse non possunt, neque consanguinei vel affines in primo et secundo gradu Cardinalium, etiamsi expensis eorum viverent, neque eiusdem Ordinis seu Congregationis religiosae: iis autem omnibus ne fas esto in Conclavi aliis Cardinalibus deservire, quamvis cum istis nullum sive consanguineitatis sive affinitatis sive religionis habeant vinculum»³⁹.

7) Magni momenti est emendatio quae per Joannis XXIII Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*» facta est quod attinet ad numerum suffragiorum, quae ad Romani Pontificis electionem sunt necessaria: «Praescriptum 68 ut novam hanc in posterum habeat formam statuimus: Tertius et ordinarius modus, seu forma electionis Romani Pontificis est, quae vocatur *per scrutinium*. Qua in re plenissime confirmamus legem iam latam ac plura deinde saecula semper religiosissime servatam, qua nempe statuitur, ut ad validam Romani Pontificis electionem requirantur duae saltem ex tribus partibus suffragiorum. Quodsi numerus Cardinalium praesentium in tres partes aequales dividi non possit, ad validitatem electionis Summi Pontificis alterum suffragium requiritur. Ut perspicuum est, si electus Pontifex in Conclavi est, et ipse debet in numero Cardinalium computari» (n. XV)⁴⁰.

Hoc Joannis XXIII praescripto abrogatum est praescriptum, quod novissime tantum a Pio XII, Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 68, inductum erat: «decernimus ut duabus ex tribus suffragiorum partibus unum insuper addatur suffragium, alioquin electio sit ipso iure nulla atque irrita, ita ut ille tantummodo Romanus Pontifex habendus sit in quem duae saltem ex tribus partibus Cardinalium, uno plus, in Conclavi praesentium per secreta schedularum suffragia convenerint»⁴¹. In iure canonico expresse declaratur nullum esse suffragium, quod in electionibus sibimetipsi detur: «Suffragium sibimetipsi nemo valide dare potest» (C.J.C., can. 170); electio enim «natura sua fertur in alium, non in ipsum eligentem» (S. Congr. Concilii, *Veliterna*, 18

37. A. A. S., LIV (1962), pag. 635.

38. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 78.

39. Ibid.

40. A. A. S., LIV (1962), pagg. 638-639.

41. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 87.



Aprilis 1885) ⁴². Quinam autem suffragiorum numerus ad validitatem electionis canonicae requiratur, eodem iure canonico statuitur, ideoque libere a Romano Pontifice decerni potest, utrum in electione Summi Pontificis secretum suffragium ab ipso electo sibimetipsi forte datum, computari valeat, necne, in numero suffragiorum, quae ad validitatem electionis requiruntur. Negativa fuit hac de re sententia S. Pii X et Pii XII, qui proinde normas servandas statuerunt ut numquam casus accideret ut ad habendas duas partes suffragiorum Cardinalium, praesentium in Conclavi, suffragium ipsius electi computaretur. Hinc, in Constitutione «*Vacante Sede Apostolica*», nn. 61, 63, 64, accuratissime determinabatur tum forma schedularum, tum schedularum scriptio, tum schedularum complicatio, et in n. 75 praecipiebatur: «si (*Scrutatores*) invenerint aliquem ex nominatis (*in Pontificem*) duas tantum partes suffragiorum obtinuisse, aperient electi schedulam (quam ex sigillis et signis ab ipso electo hoc in casu manifestandis cognoscent), etiam in ea parte, in qua est nomen eligentis; et si quidem ex ea apparuerit electum alii suffragatum fuisse, electio eius erit canonica; si vero constiterit sibi suffragium dedisse, eius electio nulla erit ob defectum unius suffragii» ⁴³. Cum nimis esset complexus modus scribendi et complicandi schedulas in praefata S. Pii X Constitutione praescriptus, formam simplicissimam schedularum Pius XII determinavit, in quibus nomen eligentis non scribitur ⁴⁴, et deficiente proinde—in casu quo electus non obtinuerit nisi duas partes suffragiorum—medio ad iuridice comprobandum quod ipse sibimetipsi suffragium non dederit, modo generali et absoluto idem Pius XII statuit necessario semper requiri, ad validam electionem Romani Pontificis, unum suffragium plus quam duas partes suffragiorum, et expresse declaravit: «Quod decretum inducendum et observandum iubemus ut quaelibet praecaveatur occasio dubitandi ne in duabus tertiis partibus suffragiorum suffragium ipsius Electi numerari queat, cum nemo unquam sive scrutiniis sive compromissi via procedatur, seipsum eligere, seu suffragium sibi dare ullatenus possit» ⁴⁵. Hoc praescriptum Joannes XXIII abrogavit, cum aequum non esse videatur difficiliorem reddere electionem Romani Pontificis ea tantum de causa, ut videlicet periculum invaliditatis eiusdem electionis eliminetur, quod tantummodo rarissime accidere possit.

In eodem praefato n. XV Motu Proprio Joannis XXIII, ut clarius pateat etiam Electum, si praesens sit in Conclavi, computandum esse—ad normam iuris iam antea vigentis—ad numerum suffragiorum determinandum, quae ad validitatem electionis requiruntur, expresse declaratur: «Ut perspicuum est, si electus Pontifex in Conclavi est, et ipse debet in numero Cardinalium computari» ⁴⁶.

42. Codicis Juris Canonici Fontes, Vol. VI, n. 4267, pag. 674.

43. C. J. C., Docum. I.

44. Pius XII, Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», nn. 72, 75, 76, (A. A. S., XXXVIII (1946), pagg. 88 et 89).

45. l. c., n. 68 (A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 87).

46. A. A. S., LIV (1962), pag. 639. — In ceteris electionibus canonicis suffragia



Quia vero contingere potest, ut numerus Cardinalium praesentium in Conclavi in tres partes aequales dividi non possit, de quo casu nihil hucusque expresse decernebatur, nunc ibidem peropportune statuitur necesse esse —et sufficere— ut unum suffragium habeatur, plus quam duae tertiae partes suffragiorum, sive unus sive duo Cardinales supersint ex omnium Cardinalium praesentium divisione in tres partes: «Quodsi numerus Cardinalium praesentium in tres partes aequales dividi non possit, ad validitatem electionis Summi Pontificis alterum suffragium requiritur»⁴⁷.

8) Joannes XXIII Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», n. XVI statuit: «In praescripti 87 locum, ut hoc reponatur decernimus: Omnibus et singulis Cardinalibus pro sancta oboedientia praecipimus, ut, ad secretum tutissime servandum, omne genus scripturas, quas de exitu uniuscuiusque scrutinii apud se habeant, vel Cardinali Camerario vel uni ex tribus Cardinalibus Ordinum Capitibus tradant; qui scripturas easdem in involucria inserent, sigillis obsignanda sive Cardinalis Camerarii sive trium Cardinalium Capitum Ordinum. Iidem autem involucria in tabularium referent, in eoque diligentissime servari curabunt; omnia potestati permittentes electi Summi Pontificis, cuius iniussu neque resignari neque legi poterunt»⁴⁸.

Huiusmodi scripturae sunt praepimis folia, de quibus decernitur in Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*» n. 83: «(Tertius Scrutator schedulam) alta et intelligibili voce perleget, ut omnes Cardinales praesentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habebunt cum nominibus omnium Cardinalium: notabit autem iuxta nomen Cardinalis ex schedula recitati. Idem faciendum erit de ceteris schedulis in calice positis, usque ad ultimam»⁴⁹.

Expresse non praefinitur, in eodem n. XVI, quandonam hae scripturae tradi debeant, sed ex rei natura patet omnino id faciendum esse antequam Cardinales egrediantur e Conclavi.

Necesse non est ut in peculiari involucrio praefatae scripturae uniuscuiusque Cardinalis singillatim inserantur, sed singulis involucriis nomen seu nomina Cardinalium inscribuntur, quorum scripturae ibidem continentur. Eadem autem involucria sigillo obsignantur Cardinalis Camerarii et trium Cardinalium Capitum Ordinum Episcopalis, Presbyteralis, Diaconalis, et in archivo Sacri Collegii accuratissime asservantur, nisi aliud expresse a Romano Pontifice caveatur, cuius etiam expressa licentia requiritur ut a quovis alio resignari vel legi valeant. Antea singuli Cardinales apud se semper habere poterant proprias suas scripturas de exitu scrutiniorum, et pluries contigit ut, praesertim post quorundam eorum mortem, ad alienas manus eae perventae etiam per commentarios diurnos divulgatae sint.

nulla non computantur ad requisitam suffragiorum maioritatem determinandam (can. 174 coll. cum can. 101, § 1, n. 1.º).

47. I. c., pag. 639.

48. Ibid.

49. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 91.



NORMAE PRAESCRIPTAE MOTU PROPRIO "SUMMI PONTIFICIS ELECTIO"

Primum a Pio XII, Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*» n. 87, statutum fuerat: «Omnibus et singulis Cardinalibus in virtute sanctae oboedientiae praecipimus ut, ad secretum tutissime servandum, omne genus scripturas quas de exitu uniuscuiusque scrutiniis apud se habeant, una cum schedulis comburendas tradant»⁵⁰.

II) NOVA PRAESCRIPTA A JOANNE XXIII STATUTA

9) Hucusque expresse praescriptum non erat, ut de scrutiniis in electione Romani Pontificis peractis documentum authenticum conficeretur, in archivo Sacri Collegii asservandum. Nunc primum iure meritoque Joannes XXIII, Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», n. XVII, statuit: «Decernimus ut, expleto Conclavi, Cardinalis S.R.E. Camerarius relationem exaret, a Cardinalibus trium Ordinum Capitibus approbandam, quae suffragiorum exitum declaret in singulis sessionibus habitorum. Quae relatio, in tabulario asservanda, involucro claudetur consignato, quod a nullo resignari poterit, nisi Summus Pontifex id definite permiserit»⁵¹.

Huiusmodi relatio comparari potest cum processu verbali electionis, qui dicitur, de quo decernitur in can. 171, § 5: «Omnia electionis acta ab eo, qui actuarii munere fungitur, accurate describantur, et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in Collegii tabulario diligenter asserventur». Hinc, eadem relatio a Cardinali S.R.E. Camerario exarari et a Cardinalibus trium Ordinum Capitibus approbari debet antequam e Conclavi discedant, sed omnibus Cardinalibus in Conclavi praesentibus legenda non est eorumque approbatione non indiget; dum e contra ex iuris particularis praescripto communiter requiritur ut processus verbalis electionis omnibus electoribus legatur et ab ipsis approbetur.

10) Conclavis clausura extra et intra non tollitur, nisi postquam Patres Cardinales nova obsequia, vulgo secundam *adorationem*, electo Summo Pontifici in Sixtino Sacello de more praestiterint, quod sane expleri non solet nisi pluribus horis elapsis a laetissimo praeconio e superiore porticu Basilicae Vaticanae a Cardinali, Diaconorum priore, populo dato. Post sollemne exaratum instrumentum de sublata Conclavis clausura, in eiusdem septa: «illi admittuntur qui, de more, electo Pontifici pro adoratione introduci solent» (Pius XII, Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 105)⁵². Si quis antea Conclavis clausuram violaret, e Conclavi expelli gravibusque poenis futuri Pontificis arbitrio plecti debebat (ib., n. 58)⁵³. Novo Joannis XXIII praescripto nunc determinatur Conclavis clausuram iuridice desinere a momento quo electus Romanus Pontifex electionem acceptavit, et plures personae taxative enumerantur quae

50. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 93.

51. A. A. S., LIV (1962), pag. 639.

52. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 98.

53. Ibid., pag. 83.



a tali momento legitime in Conclavis clausuram admitti possunt; edicitur enim in Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», n. XIX: «Praecipimus ut, postquam novus Summus Pontifex electus est, suamque is electionem assensu suo comprobavit, Conclave, quod ad canonicos effectus attinet (cf. praescriptum 58), finem habeat. Quam ob rem decernimus, ut nihil tunc impediatur, quominus electum Summum Pontificem adire possint Antistites praepositi Consilio publicis Ecclesiae negotiis procurandis, Pontificalis domus Praefectus, Praelatus ab epistulis Pont. Max. ad Principes, et quicumque cum electo Summo Pontifice agere de rebus debent, quae in praesentia opus erunt»⁵⁴. Eiusdem electi Summi Pontificis erit manifestare vel approbare quinam sint admittendi, praeter eos qui expresse iam in hoc praescripto nominantur⁵⁵.

Eiusmodi autem reserationis Conclavis legitimum instrumentum rogari debet⁵⁶, ac deinde consuetum instrumentum aperturae Conclavis conficitur, quando illud de mandato Summi Pontificis aperitur⁵⁷.

11) Sede Apostolica vacante, Cardinali S.R.E. Camerario «incumbit cura et administratio bonorum ac iurium temporalium ipsius S. Sedis, adistentibus ei in suo officio Cardinalibus eo tempore in ordine Prioribus seu Capitibus Ordinum, et praehabitis semel pro levioribus, ac semper pro gravioribus negotiis suffragiis S. Collegii» (Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 15, ubi etiam quamplura definite determinantur de his quae ad S.R.E. Camerarium pertinent)⁵⁸. Quod si contigerit eiusmodi officii vacatio «quo tempore Romanus Pontifex supremum diem obiit, vel contingat ante novis Pontificis electionem, tunc in prima Congregatione generali, in priori casu, vel in alia quae habebitur triduo post secutam vacationem, vota seu suffragia Cardinalium simul congregatorum pro deputatione illius qui S.R.E. Camerarii vices suppleat usque ad electionem novi Pontificis exquirantur, etc.» (ibid., n. 14)⁵⁹. Ne

54. A. A. S., LIV (1962), pag. 640.

55. Ex accuratissima relatione, quae de Conclavi nuperrime celebrato in Artis Apostolicae Sedis edita est, nullimode apparet utrum Summum Pontificem electum Paulum VI statim adierint, necne, hi quibus id concedi potuisset ad normam novi praescripti n. XIX Motu Proprio Joannis XXIII. In praefata relatione unum dumtaxat instrumentum sollemnis reserationis Conclavis describitur (A.A.S., LV (1963), pag. 613 ss.), et in Ordine Conclavis, n. 24, simpliciter dicitur: «Secretarius Conclavis a Pontifice invocatur ordinem aperiendi Conclave: quo obtento, S. R. E. Camerarius ipsum aperit» (l. c., pag. 611). In simili autem n. 24 Ordinis Conclavis, in quo Summus Pontifex electus fuit Joannes XXIII, expresse dicebatur: «Secretarius Conclavis a Pontifice invocatur ordinem aperiendi Conclave: quo obtento admittuntur in Conclave pro adoratione Gubernator, Mareschallus, Custos et Commissarius Generalis Conclavis, cum personis quae illis sunt addictae, et Praelati Clerici R. C. A.» (A. A. S., L (1958), pag. 876).

56. Instrumentum reserationis Conclavis rogatum est cum die 6 februarii 1922 Cardinalis O'Connell, Archiepiscopus Bostoniensis, mox ad Urbem appulsus, vehementer optavit ut statim ad Beatissimum Patrem et ad Collegas suos admitteretur antequam statuta reserationi Conclavis hora advenisset (A. A. S., XIV (1922), pag. 134).

57. Pius XII, Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 105 (A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 97).

58. Ibid., pag. 72.

59. l. c., pag. 71.



autem incommoda oriantur ob vacationem officii S.R.E. Camerarii in Joannis XXIII Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», n. III, novum hoc praescriptum statuitur: «Si quo tempore Summus Pontifex e vita discedit, Cardinalis Camerarii munus vacet, eum sacrum Cardinalium Collegium, statutis servatis praescriptionibus, quam primum eligat. Sed antequam hoc fiat, Sacri Collegii Decanus eius interim agat partes, in commemorata Decessoris Nostri Constitutione Apostolica explanatas; ac nulla interposita mora consilia capiat, quae res praesens suadeat»⁶⁰. Casus vacationis officii Cardinalis S.R.E. Camerarii, quae forte contingat post obitum Romani Pontificis et ante novi Pontificis electionem, expresse non consideratur, ea de causa —ut videtur— quia praecipua Camerarii munia explenda sunt statim post nuncium acceptum de Pontificis obitu⁶¹; sed pro certo habendum censemus quod etiam in illo casu praefato eadem praescripta omnino urgent, de eius scilicet electione «quam primum» facienda, et de eius partibus interim a S. Collegii Decano agendis.

12) De Curiae Romanae Officio, cui est nomen Camera Apostolica, in can. 262 edicitur: «Camerae Apostolicae, cui praesidet Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Camerarius, cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur; et tunc adamussim servantur normae statutae in Const. Pii X «*Vacante Sede Apostolica*», 25 Dec. 1904», in cuius locum reposita est Const. Pii XII «*Vacantis Apostolicae Sedis*», 8 Dec. 1945. Propria Clericorum Camerae Apostolicae munera accurate exponuntur in Pii XI Const. «*Ad incrementum decoris*», 15 Aug. 1934, nn. 97-104, ibique modo generali dicitur quod iidem, postquam recognitioni de Cadavere defuncti Summi Pontificis interfuerint, a Cardinali Camerario convocantur atque apud ipsum conveniunt «pro distributione officiorum singulis committendorum iuxta normas Collegii huius propria» (n. 99)⁶²; ad quodlibet proinde dubium ista de re auferendum, Joannes XXIII expresse statuit: «Aperte constare volumus, Praelatos Clericos Reverendae Camerae Apostolicae, Sancta Sede vacante, sub dictione esse Cardinalis Camerarii»⁶³, vel Cardinalis Decani Sacri Collegii, quo tempore munus Cardinalis Camerarii vacet, ut modo in superiore n. 11 dictum est.

13) In Congregationibus generalibus praeparatoriis, quae a Sacro Collegio quotidie locum habere debent a die post obitum Pontificis prudenti trium Cardinalium in unoquoque Ordine priorum et S.R.E. Camerarii iudicio statuendo⁶⁴, singularis duorum vel trium Cardinalium coetus, vulgo *Commissio*, nominetur oportet «pro constructione et clausura Conclavis, ac pro cellarum dispositione» (Pius XII, Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 12, litt. g), β⁶⁵,

60. A. A. S., LIV (1962), pag. 633.

61. Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 15 (A. A. S., XXXVIII (1945), pag. 72).

62. A. A. S., XXVI (1934), pag. 514.

63. Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», n. V (A. A. S., LIV (1962) p. 633).

64. A. A. S., XXXVIII (1945), pag. 69, n. 11.

65. *Ibid.*, pag 70.



quae in Apostolico Vaticano Palatio communiter aptantur. At vero, privatis defuncti Pontificis aedibus sigilla a Cardinali Camerario apponuntur (ibid., n. 15)⁶⁶; insuper autem, ex novo Joannis XXIII praescripto, nullus omnino locus privatae defuncti Pontificis habitationis adhiberi poterit ad cellas parandas pro cuiuscumque personae commoratione in Conclavi: «Placet Nobis ne inter habendum Conclave, quod vocant, diaetarum Summi Pontificis privatarum ulla pars habitetur» (Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», n. IV)⁶⁷.

14) Ne rursus unquam contingant quae insolenter et immodice patrata sunt, quorumdam privatorum opera, quo tempore Pius PP. XII extremo morbo laborabat, cuius etiam in lecto iacentis imago ubique terrarum divulgata est: quod quidem quam maxime dedecet, ob summam reverentiam Summo Pontifici debitam; novum hoc praescriptum a Joanne XXIII Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*» statutum est n. I: «Sive Augusto Pontifice decumbente, sive eodem vita functo, nemini liceat in eius diaetis neque imagines obiectu lucis pingere, neque voces postea reddendas in magnetophonii taeniola imprimere. Si quis vero, Summo Pontifice defuncto, hoc genus imagines, probationis vel testimonii causa, imprimere cupiat, id petere a Cardinali Camerario S.R.E. poterit, qui tamen Summum Pontificem lucis obiectu referri nequaquam sinet, nisi pontificalibus vestibus indutum»⁶⁸. Eiusmodi venia a Cardinali Decano Sacri Collegii impetranda erit, si ipse Cardinalis Camerarii S.R.E. partes agat dum huius munus vacet.

Praefata autem Joannis XXIII praescripta *integre religioseque* ab omnibus servari debent non solummodo a momento quo Romanus Pontifex, ob morbi gravitatem, plene sui compos esse desierit, sed etiam toto tempore quo graviter aegrotat, inde a cognito probabili eius mortis periculo usque ad eius obitum. Si interim ille adhuc deliberate agere queat, de ipsius tantum certa et expressa voluntate poterit quidpiam aliud a quovis perfici.

15) Ad proprium Romani Pontificis decus apte tutandum, et hoc novum praescriptum statuit Joannes XXIII: «Translationis funeris caeremoniis persolutis, cunctaque fidelium multitudine a Petriano templo dimissa, exuviae Summi Pontificis per ianuam, quam a S. Martha appellant, in Cryptas Vaticanas inferantur, prosequentibus dumtaxat Cardinalibus Ordinum Capitibus, Cardinali Basilicae Petrianae Archipresbytero, Cardinali qui fuit extremus a publicis Ecclesiae negotiis, et aliquot Canonicis Vaticanis. In Cryptis vero dum capularis capsula igne ferruminatur, praeter plumbarios, ii tantummodo adesse praesentes poterunt, quos modo diximus, et defuncti Summi Pontificis consanguinei» (Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», n. II)⁶⁹. Praeterea ibidem adesse debent Cardinalis S.R.E. Camerarius, Praefectus Palatii Apostolici et

66. Ibid., pag. 72, n. 15.

67. A. A. S., LIV (1962), pag. 633.

68. A. A. S., l. c., pag. 632 sq.

69. Ibid., pag. 633.



NORMAE PRAESCRIPTAE MOTU PROPRIO "SUMMI PONTIFICIS ELECTIO"

Praefectus Ap. Caeremoniarum, qui una cum Cardinali Archipresbytero Basilicae Vaticanae unoque Canonico Vaticano sigillum suum imprimunt super violaceis sericis fasciis, quibus ligatur capsula suo cooperulo firmiter clausa, in quam sacrae exuviae defuncti Summi Pontificis sunt depositae ⁷⁰.

Peropportune nova haec norma a Joanne XXIII statuta est, ne coram Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis de Curia, Parochis, rectoribus ecclesiarum, pluribus e Religiosis Congregationibus necnon innumeris invitatis, inter quos multarum Civitatum Legatis, Ordinibus Equestribus, Nobilibus Romanis aliisque plurimis cuiusque ordinis clarissimis viris plura iam non expleantur, quae longum tempus requirebant nec ad pietatis et ossequii sensus erga Romanum Pontificem fovendos ullimode conferre poterant. In relatione de Pii PP. XII tumulatione dicitur quod capsula cupressina, in qua sacrum cadaver demortui Pontificis conditum est, a fabris lignariis firmiter suo cooperulo clausa, in aliam plumbeam capsam immissa est, cuius tectorium undequaque, longo labore, stamno firmatum est sigillisque munitum; denique plumbea capsula inclusa est in aliam e ligno ulmeo capsam, quae pariter clausa suoque cooperulo est firmata. Demum sacrum cadaver Pii XII industriae operariorum labore, inlatum est in Cryptas Vaticanas veteres, ibique sepulturae traditum est ⁷¹.

Haec igitur servata sunt in novissima defuncti Summi Pontificis Joannis XXIII, s.m., tumulatione: benedictione peracta cupressinae capsulae, in quam sacrae exuviae dulcissimi Patris deponendae erant, gestatores sedis sacrum corpus suo loco extulerunt (inter altare Confessionis et altare Cathedralis) atque in eadem benedicta cupressina capsula religiose condiderunt. Serico velo albo supra faciem defuncti Pontificis pie strato et ad pedes sacri corporis manticulo coccineo deposito, in quo numismata nummique ex auro, argento, aere cusa tempore Pontificatus Joannis XXIII continentur, itemque in eadem capsula posito volumine pergameneo, plumbea custodia cylindrica formae incluso, in quo scriptum fuerat sepulchrale Pontificis elogium, exuviae Summi Pontificis per ianuam quam a «Sancta Martha» appellant, in Cryptas Vaticanas inlatae sunt, ubi cupressina capsula suo cooperulo firmiter clausa est eademque violaceis sericis fasciis ligata est, super quibus sigilla impressa sunt hispanica liquefacta cera. Capsula ipsa cupressina deinde in aliam plumbeam capsam immissa est, cuius tectorium undequaque, longo labore, stamno firmatum est sigillisque munitum. Denique plumbea capsula inclusa est in aliam robuream, quae pariter primo clausa, suoque deinde cooperulo est firmata. Demum sa-

70. Idipsum, sane, etiam nuperrime in morte Joannis XXIII servatum fuisse expresse refertur in A. A. S., LV (1963), pag. 485.

71. A. A. S., L (1958), pagg. 775-778. — Per trochleam (vulgo *argano*) gravissimum feretrum in Cryptas Vaticanas demissum est, eodem modo quo sarcinae magni ponderis tractari solent. De feretro Pii X expresse dicitur in Cryptas Veteres Vaticanas introductum fuisse «per scalas Confessionis B. Petri» (A. A. S., VI (1914), pag. 432), quod etiam de feretro Benedicti XV et Pii XI peractum fuisse videtur (A. A. S., XIV (1922), pag. 64; XXXI (1939), pag. 48).



crae exuviae dulcissimi desideratissimique Joannis PP. XXIII, ritualibus precibus expletis in Cryptis Vaticanis veteribus piaep sepulturae traditae sunt ⁷².

16) Ultima omnium normarum, quae ex praescripto Joannis XXIII Vacante Sede Apostolica sunt valiturae, quaeque pariter ultima est normarum quae primum ab eo omnino novae statutae sunt, his verbis exprimitur: «Si defunctus Summus Pontifex de rebus suis deque litteris et tabulis privatis testamentum fecerit, sui que testamenti curatorem designaverit, huius est, pro potestatibus sibi a testatore factis, ea statuere et exsequi, quae ad privata defuncti Pontificis bona et scripta pertinent. Qui curator de negotii a se gesti dispensatione electo dumtaxat Summo Pontifici rationem reddet» (Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*», n. XX) ⁷³.

Patet omnino quod etiam Summus Pontifex, qua persona physica, propria bona patrimonialia possidere potest aliaque plura bona temporalia, quae intuitu personae acquisiverit, itemque scripta et documenta ab aliis accepta vel ab ipso exarata, quae ad personas spectent aut ad negotia aut ad litteras aut ad historiam aut ad scientias. De his omnibus libere disponere potest sive per donationem inter vivos, sive per actum mortis causa, seu per testamentum, de quo expresse agitur in praefato Joannis XXIII praescripto ⁷⁴. Age vero, duo proprie hac de re statuuntur: primum est, quod si defunctus Summus Pontifex de rebus suis privatis testamentum fecerit sui que testamenti curatorem designaverit, iste nulla indiget licentia Cardinalis S.R.E. Camerarii, aut Cardinalis Sacri Collegii Decani, aut etiam novi Summi Pontificis electi, ut munus sibi commissum legitime explere valeat; sed manifestum est evidentissime quod curator testamenti nihil agere potest quoad res quae sunt in privatis defuncti Pontificis aedibus, quibus Cardinalis S.R.E. Camerarii sigilla apposita sunt (Pius XII, Const. «*Vacantis Apostolicae Sedis*», n. 15) ⁷⁵, nisi postquam eadem aedes de mandato competentis auctoritatis apertae fuerint. Alterum quod in praefato praescripto proprie statuitur illud est, quod testamenti curator electo dumtaxat Summo Pontifici rationem reddere tenetur de negotii a se gesti dispensatione. Ad normam legis civilis, curator testamenti rationem negotii a se gesti iudici reddere tenetur ⁷⁶; cum autem Romanus Pontifex nulli auctoritati civili subiiciatur, eiusmodi exemptio merito extenditur etiam ad eius testamenti executionem. Expediit tamen ut publice constet de fideli et integra negotii dispensatione gesti a curatore testamenti defuncti Summi Pon-

72. A. A. S., LV (1963), pagg. 482-486.

73. A. A. S., LIV (1962), pag. 640.

74. In cann. 1298 - 1300 plura accurate statuuntur de *spolio*, quod dicitur, de determinatis scilicet bonis defunctorum Cardinalium et Episcoporum residentialium et aliorum Beneficiariorum, quae aut pontificio sacrario cedunt, aut respectivae Ecclesiae Cathedrali, aut Ecclesiae in qua beneficium obtentum erat.

75. A. A. S., XXXVIII (1946), pag. 72.

76. Cf., verbi gratia, Codicem Civilem Italiae, art. 908.—Ex Codicis Juris Canonici praescripto piarum dumtaxat voluntatum executores delegati, perfuncti munere, Ordinariis rationem reddere debent (can. 1515, §2).



NORMAE PRAESCRIPTAE MOTU PROPRIO "SUMMI PONTIFICIS ELECTIO"

tificis, proindeque peropportune Joannes XXIII statuit ut ipse rationem reddat novo electo Summo Pontifici; ad quem pariter quaevis componenda deferri deberet controversia, quae forsitan oriatur inter heredes necessarios vel liberos et quaslibet alias personas, quarum intersit.

17) Ex his quae superius breviter exposita sunt manifeste patet normas vacante Sede Apostolica valituras a Joanne XXIII statutas, sive illas quae normas quasdam praecedentes immutant a Pio XII praescriptas, sive illas quae eis novae superadditae sunt, magnam revera consilii prudentiam ostendere, quae, per praesens temporis spatium, «rectum rerum pollicetur cursum»⁷⁷

CHRISTOPHORUS BERUTTI O. P.

77. Motu Proprio «*Summi Pontificis electio*» (A. A. S., LIV (1962), pag. 632).